

quis tantam Rutulis laudem, casusne deusne,  
 adtulerit; pressa est insignis gloria facti,  
 nec sese Aeneae iactavit volnere quisquam.  
 Turnus ut Aenean cœdentem ex agmine vidit  
 turbatosque duces, subita spe fervidus ardet; 825  
 poscit equos atque arma simul saltuque superbus  
 emicat in currum et manibus molitur habenas.  
 multa virum volitans dat fortia corpora leto,  
 semineces volvit multos aut agmina curru  
 proterit aut raptas fugientibus ingerit hastas. 830  
 qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri  
 sanguineus Mavors clipeo intonat, atque furentis  
 bella movens inmittit equos, illi aequore aperto  
 ante Notos Zephyrumque volant; gemit ultima pulsu  
 Thraca pedum; circumque atrae Formidinis ora 835  
 Iraeque Insidiaeque dei comitatus aguntur:  
 talis equos alacer media inter proelia Turnus  
 fumantis sudore quatit, miserabile caesis  
 hostibus insultans; spargit rapida ungula rores  
 sanguineos, mixtaque cruor calcatur harena. 840  
 iamque neci Sthenelumque dedit Thamyrumque Pho-  
 lumque,  
 hunc congressus et hunc, illum eminus; eminus ambo  
 Imbrasidas, Glaucum atque Laden, quos Imbrasmus ipse  
 nutrierat Lycia paribusque ornaverat armis,  
 vel conferre manum vel equo praevertere ventos. 845  
 parte alia media Eumedes in proelia fertur,  
 antiqui proles bello praeclara Dolonis,  
 nomine avom referens, animo manibusque parentem,  
 qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret,  
 ausus Pelidae pretium sibi poscere currus; 850  
 illum Tydides alio pro talibus ausis  
 adfecit pretio, nec equis adspirat Achillis.  
 hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto,  
 ante levi iaculo longum per inane secutus,  
 sistit equos biiugis et curru desilit atque 855  
 semianimi lapsoque supervenit, et pede collo